

## ANTONIUS MUSA ?

## PRECATIO TERRAE ET HERBARUM (53 vers)

## PRECATIO TERRAE

v.1 Dea sancta Tellus, rerum naturae parens,  
 2 quae cuncta generas et regeneras indidem,  
 3 quod sola praestas gentibus vitalia,  
 4 caeli ac maris diva arbitra rerumque omnium,  
 5 per quam silet natura et somnos concipit,  
 6 itemque lucem reparas et noctem fugas :  
 7 tu Ditis umbras tegis et immensum chaos  
 8 ventosque et imbres tempestatesque attines  
 9 et, cum libet, dimittis et misces freta  
 10 fugasque soles et procellas concitas,  
 11 itemque, cum vis, hilarem promittis diem.  
 12 Tu alimenta vitae tribuis perpetua fide,  
 13 et, cum recesserit anima, in tete refugimus :  
 14 ita, quicquid tribuis, in te cuncta recidunt.  
 15 Merito vocaris Magna tu Mater deum,  
 16 pietate quia vicisti divom numina ;  
 17 tuque illa vera es gentium et divom parens.  
 18 Sine qua nil maturatur nec nasci potest :  
 19 tu es Magna tuque divom regina es, dea.  
 20 Te, diva, adoro tuumque ego numen invoco,  
 21 facilisque praestes hoc mihi quod te rogo ;  
 22 referamque grates, diva, tibi merita fide.  
 23 Exaudi <me>, quaeso, et fave coeptis meis ;  
 24 hoc quod peto a te, diva, mihi praesta volens.  
 25 Herbas, quascumque generat majestas tua,  
 26 salutis causa tribuis cunctis gentibus :  
 27 hanc <nunc> mihi permittas medicinam tuam.  
 28 Veniat medicina cum tuis virtutibus :  
 29 quidque ex his fecero, habeat eventum bonum,  
 30 cuique easdem dedero quique easdem a me acceperint  
 31 sanos eos praestes. Denique nunc, diva, hoc mihi  
 32 majestas praestet <tua>, quod te supplex rogo.

## PRECATIO OMNIUM HERBARUM

33 Nunc vos potentes omnes herbas deprecor.  
 34 Exoro majestatem vestram, quas parens  
 35 tellus generavit et cunctis dono dedit :  
 36 medicinam sanitatis in vos contulit  
 37 majestatemque, ut omni generi identidem  
 38 humano sitis auxilium utilissimum.  
 39 Hoc supplex exposco <et> precor : ve<locius>  
 40 <huc> huc adeste cum vestris virtutibus,  
 41 quia, quae creavit, ipsa permisit mihi,  
 42 ut colligam vos ; favit hic etiam, cui  
 43 medicina tradita est. Quantumque vestra nunc  
 44 virtus potest, praestate medicinam bonam  
 45 causa salutis. Gratiam, precor, mihi

46 praestetis per virtutem vestram, ut omnibus  
47 in rebus, quicquid ex vobis <ego> fecero,  
48 cuive homini dedero, habeatis eventus bonos  
49 et effectum celerrimum. Ut semper mihi  
50 liceat favente majestate vestra vos  
51 colligere,.....  
52 ponamque vobis fruges et grates agam  
53 per nomen Matris, quae vos jussit nascier.